



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. Vtrum Charitas sit amor verè Amicitiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

minus à quo motus incipit, & terminus ad quem, in quo conquietitur motus per vnionem, ecstasim, & zelum.

Triplicis
amoris ef-
fectus.

Certum enim est tertio, quod rectè à S. Dionysio tres ponuntur effectus, & tres causæ veræ moris, effectus ij sunt quos dixi vnio, ecstasis, zelus, quia nimirum voluntas, & alijs imperat potentijs & sibi etiam ipsi, ex inclinatione illa & vnione effectiua statim sequitur vt voluntas & se ipsam & alias omnes potentias occupet circa rem amatam, adeo vt neque intellectus aliud cogitet, neque voluntas in aliud tendat, sed amet, desideret, gaudeat, oderit, fugiat, doleat, de bonis & malis dilecti, & hæc vnio siue potentialium omnium occupatio circa dilectum, est primus effectus amoris; vnde sequitur statim vt voluntas sic vnita obliuiscatur alia omnia, etiam se ipsam, vnde magis dicitur esse anima vbi amat, quàm vbi animat, quæ vocatur ecstasis & secundus effectus amoris: postremus autem est zelus seu imperus quidam feruens procurandi ea quæ bona sunt dilecto, & impediendi ea quæ sunt ipsi mala.

Causæ verò amoris tres item ponuntur. Prima est, bonum & pulchrum quorum vnum est conuenientia cum voluntate, alterum est conuenientia cum potentia cognoscente præsertim intellectiua vel visuæ cui placet; Pulchrum enim est quod placet intellectui aut visui, atque inde voluntatem ad se trahit. Secunda causa est similitudo. Tertia est amor. Quæ omnia exponebam in morali ex quibus.

Charitas
verus est
amor.

Certum est quartò, Charitatem esse verum amorem, & quidem beneuolentiæ. Verus est amor, quia hoc significat ipsum nomen quo designatur eminens quædam dilectio efficiens vt charissima sit persona quæ diligitur. Conuenit etiam illi tota definitio amoris siue ille complacentia dicatur, siue beneuolentia, siue vnio & inclinatio. Tres effectus amoris sunt maxime proprij Charitatis, occupat enim omnes animæ potentias circa Deum, animum amantis extra se rapit, accenditque in eo Zelum, ad procuranda bona, & auertenda omnia quæ Deo esse possunt mala. Causas habet easdem quas habet amor; Deus enim summum est bonum, & summum pulchrum, perfectissimo modo amat, & per amorem efficit sibi similes. Denique proprietates omnes habet honestissimi amoris, vt dicā questione 3. est enim gratuitus, quia non amat sui commodi causa, sed solum attendit dilecti bonum, est appetitiuius, est efficax, feruens, constans. Sed hæc postea.

Est amor
beneuo-
lentia.

Certum est quintò, Charitatem esse amorem veræ ac perfectissimæ beneuolentiæ; amor enim ille qui (vt dixi) est motus voluntatis in bonum, aliquando est amor beneuolentiæ, aliquando est amor concupiscentiæ, quia in omni amore aliquod bonum alicui amatur, vel quia illud bonum est conueniens tali personæ, vel quia illa digna est: Charitas autem vult Deo bona, quia dignus est ratione infinitæ suæ bonitatis, vt constabit (ex sequentibus) ergo est verus amor perfectæ beneuolentiæ.

SECTIO II.

Primum Charitas sit amor vera amicitia.

Certum ex sexto, primariam & nobilissimam speciem amoris esse illam, quam vocamus communem nomine (amicitiam) de qua differens plenissimè Philosophus libro octauo & nono Ethicorum. quatuor ad eam exigit, primò vt si amor gratuitus, id est vt sit vera beneuolentia quæ velimus alicui bonum ipsius gratia: id est propter me-

ritum ipsius, & honestum quod ipsi inest: *Diligitur enim amicus* (inquit Tullius) *quia in se rationem habet, ob quam diligitur*, nam amicitia non est qualiscunque beneuolentia, nam possum alicui personæ bene velle, quæ non sit bona & hæc non est amicitia sed beneuolentia orta ex complacentia in eo cui sum beneuolus, vera est amicitia. Imò & amicitias, quæ sunt ob utilitatem & voluptatem docet Philosophus lib. 8. cap. 3. & 4. Non esse amicitias nisi ex accidenti atque adeo facile mutari, solam amicitiam, quam virtus conciliat esse amicitiam per se verè constantem & perennem.

Secundò exigitur vt sit amor mutuus, id est cum redamatione, alioqui est beneuolentia non amicitia, & in hac redamatione consistit æqualitas ad amicitiam requisita vt traditur ibidem cap. 8.

Tertio exigitur vt amor ille mutuus, non sit latens, sed vtrique amico sit notus: *Amicitia enim* (inquit cap. 2.) *est redamatio non latens*, quod quidem ad amicitiam non est simpliciter necessarium sed ad vsum veræ amicitia, vel certè ad amicitiam ciuilem.

Quartò exigitur societas aliqua & communio bonorum in qua fundetur amor ille mutuus, id est vt commune vtrique amico sit aliquod bonum in quo ambo conueniant; huiusmodi est communitas virtutis, sanguinis, eiusdem instituti vt docetur cap. 9. *Non quod* (inquit) *amicitia primò feratur in ipsam communitatem boni, sed in ipsum bonum*, quod quia vtrique commune est, communis etiam amor est. Vnde tres colligit causas amicitia, præsentiam siue conuictum, beneuolentiam, & beneficentiam. His positis.

Difficultas est, vtrum Charitas, quæ amor est excellentis beneuolentiæ præferens Deum alijs omnibus quæ amantur & chara sunt, sit verus amor amicitia quæ connectat hominem Deo, & Deum homini coniungat ac proinde faciat nos Dei non seruos sed amicos, & Deum nobis amicum.

Ratio dubitandi est primò, quia in amore amicitia requiritur beneuolentia mutua, gratuita & propter ipsum qui amatur, Deus autem non amat nos, propter nos, sed propter se ipsum, ad quem omnia necessariò refert, ergo non potest Charitas esse amicitia. Imò neque amor ille hominis ad Deum esse potest gratuitus, cum Charitas Deum amat vt finem vltimum, & magis amat ea cum quibus magis ipse coniunctus est. Denique nulla in Deo esse potest virtus moralis propriè dicta, quia in virtute morali necesse est vt honestas propria illius virtutis propter ipsam ametur, Deus autem omnia propter se ipsum amat, alioqui non amaret modo perfectissimo, amicitia verò est virtus moralis, ergo illa non est in Deo.

Prima dubitatio.

Secundò, amicitia debet esse non latens, ita vt ex vtraque parte amans agnoscat se diligi, nemo autem scire potest se à Deo diligi. Deinde ad amicitiam requiritur æqualitas, conuictus, & mutua communicatio bonorum, quæ omnia clarum est esse non posse inter Deum & hominem.

Secunda.

Tertio, Charitas est etiam ad inimicos, ergo Charitas non est amor mutuus, habetur ad peccatores, ergo non est amicitia, quæ non est nisi inter bonos, si enim conciliet illam utilitas aut voluptas, non autem virtus, definit esse amicitia.

Tertia.

Dicendum tamen est, Charitatem esse perfectum amorem amicitia hominis ad Deum. Conclusio.

Ratio S. Thomæ optima est, quia conditiones omnes veræ amicitia modo excellentissimo amoris illi qui est Charitas conueniunt.

Primò enim vt ostendebam est verus amor beneuolentiæ quæ non vult sibi Deum vt summum bonum sed vult Deo ipsi bonum, quia dignus est.

Secundò

SECTIO III.

Secundò etiam est amor mutuus, quia nemo Deum amat, quem non redamet statim Deus ut filium & heredem.

Tertiò est non latens mutua illa redamatio, quia licet nemo physice sit certus quod ametur à Deo, sicut nec est certus quod amet Deum, probabilius tamen, imò & moraliter est certior quod à Deo ametur quam quod homo illum amet. *Ipsè enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro quod sumus filij Dei.* Denique non deest mutua quædam bonorum communicatio: *Deus enim* (ut ait Irenæus) *totum se in hominem effundit, & homo vicissim Deo tribuit gloriam & honorem. Ego dilecto meo & ad me conversio eius.*

Solutio
primæ dis-
tinctionis.

Ad primam Respondeo non requiri ad amorem benevolentia, ut amans amet dilectum propter ipsum tanquam finem ultimum, quando ille qui amatur essentialiter ordinatur ad illum finem & totam suam perfectionem ex eo habet, sufficit enim ut amans velit dilecto bona non propter commodum suum, sed propter commodum solius dilecti. Deus amare non potest creaturam, nisi propter se ipsum ad quem illa ordinatur, & ex quo totam habet suam perfectionem, gloria enim Dei ad quam Deus amando dirigit creaturam, est vera beatitudo creaturæ, habet igitur Deus erga creaturas rationales amicitiam, quas ob commoda sua non amat: sed propter se ipsum ut illorum finem: homo etiam per Charitatem Deum amat vero amore benevolentia (ut ostendi) quamvis amet illum ut finem ultimum, quia non illum amat ut summum bonum ipsius hominis, sed ut in se summè bonum: amamus etiam Charitate magis illos qui nobis sunt magis coniuncti, sed ita tamen ut ultima ratio amandi non sit nisi Deus. Virtutes morales sunt reuera in Deo, sed omnes formatæ per Charitatem (ut ostendi aliàs) amat enim Deus etiam honestatem creatam propter ipsam, sed non ultimò, quia refert illam etiam ad se ipsum. Imò nihil facit illa ratio contra nos qui volumus amicitiam illam quæ Deus nos amat esse Charitatem Theologicam.

Solutio
secundæ.

Ad secundam satis dictum est quomodo satis homo iustus cognoscat se à Deo amari ut habere dicatur amicitiam ad Deum: nego autem quod ad veram amicitiam requiratur æqualitas unde Philosophus libro octavo, capite septimo, ponit amicitiam quandam excellentiæ. Imò iustus Deum amando, accipit quandam per ipsum amorem æqualitatem cum Deo secundum proportionem, euehitur enim ad participationem quandam diuini esse sicut Deus ut verum se amicum exhiberet per omnia similis factus est nobis absque peccato. Coniunctus & communicatio mutua bonorum etiam non desunt (ut dixi) quia per orationem & conuersationem in cælis, cum Deo loquitur, & Deus ducit eum in solitudinem, & ibi loquitur ad cor eius.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Respondeo Charitatem non esse amicitiam hominis ad hominem inimicum & peccatorem, qui diligitur propter Deum, sed esse amicitiam hominis ad solum Deum, cuius solius intuitu amantur inimici & peccatores, quia sic Deus vult, & quia sunt aliquid pertinens ad Deum.

Verum Charitas sit virtus creata, vna specificè, omnium perfectissima, & omnium forma virtutum.

Dixi Charitatem esse verum amorem benevolentia, ac amicitia perfectæ, quia gratuitus est & reciprocus, *Qui enim manet in Charitate, in Deo manet & Deus in eo*, nunc sequitur ut dicam quàm sit honestus, hæc enim est propria ratio virtutis, in qua expendenda sūt quatuor. 1. utrùm Charitas sit essentialiter virtus, 2. an sit aliquid creatum an verò ipsemet Spiritus Sanctus, tertiò utrùm sit vna tantum specialis virtus ab alijs omnibus virtutibus diuersa, quartò denique utrùm perfectione superet alias omnes virtutes, & illas ut anima informet, perficiat, coronet, quæ omnia plus habent pietatis quàm difficultatis.

Ratio tamen dubit. esse potest primò, quia Charitas non est essentialiter virtus, si possit imperari actus Charitatis per actum malum saltem venialiter malum, sed imperari potest per actum malum venialiter, cur enim ex vana gloria non possum ignaros erudire vel dare miseris eleemosinam quisunt actus charitatis possuntque duo habere motiua, vnum omnino intrinsecum & proprium, alterum extrinsecum, ergo Charitas non est essentialiter virtus. Adde quod virtus amat honestatem propter ipsam, cum tamen Charitas non attendat honestatem, sed solum Dei bonum.

Secundò, illa non est specialis virtus, quæ amplectitur alias omnes virtutes, sed Charitas alias omnes amplectitur virtutes, unde appellatur vinculum perfectionis anima & forma virtutum, imò dicitur esse omnis virtus: ergo Charitas si vna est virtus, non est nisi genericè vna.

Tertiò, si Charitas forma virtutum est, sequitur nullam esse veram virtutem saltem Christianam sine Charitate, hoc autem falsum est, quia Fides & Spes sine Charitate veram habent rationem virtutis.

Dico primò, Charitatem esse veram & propriè dictam virtutem Theologicam, infusam diuinitus animæ, ac verè creatam & distinctam à Charitate increata quæ Spiritus Sanctus est.

Primam partem probant omnes scripturæ in quibus laudes eximie Charitatis narrantur. Dicitur enim aliàs diffundi à Deo, & immitti animæ per Spiritum Sanctum qui cum ipsa datur, & per ipsam vitur animæ, cum sit & dispositio, & vinculum animæ cum spiritu increato Dei, dicitur ex Deo esse, diligamus nos inuicem, quia Charitas ex Deo est; monemur & inuitamur ad Charitatem, *Hoc oro ut Charitas vestra magis abundet in scientia*, vocatur finis præcepti, vinculum perfectionis, excellentissimum charissimum, fructus spiritus, vexillum gratiæ, sine qua nihil sumus, & nihil prodest. *Quæ alia* (inquit Hieronymus in c. 5. in Galat.) *inter fructus spiritus debuit tenere primatum nisi Charitas, sine qua cetera non putantur esse virtutes, & ex qua nascuntur vniversa quæ bona sunt.* Deinde S. Thomæ ratio est optima, quia omnis actus conformis suæ regulæ rectus est, & vera virtus; hæc autem regula est duplex, altera est ipse Deus, altera est humana ratio pro ut Deo subordinata, sed actus Charitatis vtrique huic regulæ conformis est, nam respicit Deum eo modo quo conuenit, quatenus scilicet obiectum est amabilissimum, est autem valde conueniens amare, quod est amabile, unde conformis etiam est humanæ rationi, est igitur vera virtus.

Secunda pars, asserens Charitatem esse donum creatum, non autem personam ipsam Spiritus sancti communissimè admittitur à Theologis contra magistrum in primo distinct. 17. ubi contendit Charitatem non esse creatum aliquid in homine sed esse Spiritum Sanctum

Quæstio
quadrage-
simæ.

Prima dis-
tinctionis.

Secunda.

Tertia.

Conclusio.